



atum esse physici instrumenti, & non moralis? Siquidem significatio nihil est reale in vocibus. Item in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. quaestione 2. in corp. dicit Deum uti sacramentis, quasi quibuscumque instrumentis justificationis. Et ad 2. sacramenta esse causas gratiae, quasi instrumentaliter. Quibus in locis particula illa quasi, quam non aliter causa adiecit, indicat eam non tribuere sacramentis rationem instrumenti simpliciter dicti, quae est instrumentum physicum, sed instrumentum secundum quid, quae est instrumentum morale. Denique idem S. Doctor hic art. 3. docet virtutem in sacramento derivari ab humanitate Christi, media passione: Sed passio Christi non est causa physica, sed solum moralis nostrae justificationis, nam cum agere praesupponat esse, quod non est physice in rerum natura, non potest esse causa physica: passio autem Christi jam transit, & neque unquam amplius erit, juxta illud Apostoli ad Romanos 6. Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Ergo juxta doctrinam D. Thomae, sacramenta novae legis non sunt instrumenta physica, sed solum moralia, gratia sanctificantis.

72 Respondet quoad primum locum, negando quod virtus vocem ad excitandum intellectum, non sit virtus physici instrumenti; licet enim in voce significativa, ipsa ejus significatio non sit physica, nec realis, sed relatio aliqua rationis, ex passiva impositione vocis confurgens, virtus tamen quam habet ad immittendum species suas in sensum auditoris, & per eas conceptionem loquentis in alterius mentem transmittendi, realis est, & physica, atque adeo virtus instrumenti physici, ut docet Capreolus in dist. 1. quaest. 1. ad quintum Scoti contra quartam, & variis D. Thomae testimoniis ostendit; Idem S. Doctor manifeste indicat in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. quaestione 2. ad 4. ubi fufius explicans doctrinam quam tradidit hic art. 4. ad 1. sic ait: *In eo corpori non potest esse virtus secundum esse completam, potest tamen ibi esse per modum intentionis, sicut in instrumentis motis ab arte, est virtus artis, & sermo audibilis existens causa disciplina (ut dicitur in libro de sensu & sensato cap. 2.) continet intentiones animae quodammodo: etiam in motu est virtus substantia separata moventis, sicut dicitur Philosopho; & sicut agit in virtute animae ut dicitur in 1. de generatione animalium cap. 20. circa finem.* Ubi D. Thomas loquitur de instrumentis physici, evidentiissimum est: nam instrumenta mota ab arte, instrumenta physica sunt; ut securis dolabra, terra; & virtus substantia separata, quae agit ad generationem viventium, virtus physica est; & similiter virtus feminis est virtus instrumentalis physica.

73 Ad secundum locum dico particulam quasi, non esse semper similitudinis notam diminutivam, sed expressivam; & confirmationis, ut cum de Rege ornato & pompa regia incedente dicitur: *incedit quasi Rex*, id est tanquam Rex. Et Scriptura Joann. 1. dicit de Christo: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre*. Ad eum ergo modum dicit D. Thomas, sacramenta esse causas gratiae, quasi instrumentales, id est, tanquam vera instrumenta gratiae.

74 Ad tertium nego Minorem, & ad probationem ejus subjunctam dico quod licet passio & mors Christi jam transierint in actu, & in ratione motus, aut actionis, manent tamen virtute in effectu suo, videlicet in stigmatibus gloriosae corporis Christi, seu in humanitate quae affecta fuit passione & morte; & quia haec humanitas affecta, modo & in aeternum manet, ideo modo & in aeternum consummate potest sanctificatae virtute sua effecta. Ita colligitur ex D. Thomae supra quaest. 56. art. 1. ad 3. ubi sic ait: *Resurrectio Christi est causa efficiens & exemplaris nostrae resurrectionis; efficiens quidem, in quantum humanitas Christi secundum quam resurrexit, est quodammodo instrumentum divinitatis ipsius, & operatur in virtute ejus, & ideo sicut alia quae Christus in sua humanitate fecit, vel passus est, virtute divina sunt nobis salvantia, ita & Resurrectio ejus. Ex quibus verbis apparet, non esse mentem S. Thomae, quod actio ipsa quae jam praeteriit, assumatur ut instrumentum divinitatis, sed humanitas, quae secundum actionem illam resuscitata manet & passiva est, aut mortua: & ideo Christi Passio, & resurrectio, physice ad nostram justificationem & resurrectionem concurrere dicuntur, quia humanitas ejus, ut passa & resuscitata, ad utrumque physice concurrat.*

§. II.

*Solvitur primum argumentum ex ratione petiti, & quomodo sacramenta cum fitione suscipiunt, recedente fitione, producant gratiam, breviter declaratur.*

75 Prater argumenta ex auctoritate, quae S. praecedenti diluuntur, variis rationibus insurgunt Adversarii in nostram sententiam. Prima se potest breviter proponi: Baptismus qui in puncto suae receptionis gratiam non contulit, propter recipientis obicem, sive fitionem, recedente postea fitione eam confert, ut docet S. Augustinus libro

de Baptismo contra Donatistas cap. 12. relatus de confecer. dist. 4. cap. 41. & S. Thomas infra q. 69. art. 10. & cum eo communiter Theologi: Sed tunc tam non causet physice, cum tunc non sit, sed transferat, & quod non est, physice agere nequeat: Ergo solum moraliter.

Nec valet si dicas, quod licet quando recedit fictio, Baptismus non sit in se, remanet tamen in sua virtute, nimirum in charactere, qui tunc a Deo elevatur ad causandam gratiam, quam Baptismus in puncto suae receptionis debebat producere, si non fuisset positum impedimentum. Non valet, inquam, character enim de se non est instrumentum ad producendam gratiam, ut patet, quando simul character & gratia dantur, tunc enim gratia non datur mediante characteri: Ergo neque quando non datur simul gratia.

76 Respondeo bonam esse responsonem & tradi expresse a S. Thoma in 4. dist. 4. q. 3. art. 2. quaestione 3. his verbis art. praecedenti relatis: *Ad tertiam quaestionem dicendum quod in Baptismo imprimatur character, qui est immediata causa disponens ad gratiam; & ideo cum fitione non auferat characterem, recedente fitione, quae effectum characteris impedit, character qui est praesens in anima, incipit habere effectum suum, & ita Baptismus, recedente fitione, effectum consequitur.* Quibus verbis aperte docet, quod quando Baptismus suscipitur cum fitione, recedente fitione, per characterem, ut effectum sacramentalem minus principalem, datur effectus principalis, qui est gratia.

Nec refert, quod quando non hinc suscipitur gratia non datur mediante characteri, nam tunc sacramentum ipsum insulat formaliter, & sic non oportet ponere virtutem insipientiam, seu mediante virtute a se relicta: quando tamen non adest sacramentum, si sufficienter salvatur haec causalitas physica, mediante virtute aliqua a sacramento relicta, sicut mortuo generante producit proles per virtutem a se relictam in semine.

77 Haec solutio & doctrina haud dubie valde probabilis est, & potest applicari non solum Baptismo, sed etiam aliis sacramentis imprimendis characterem. Verum adhuc gravis difficultas remanet de aliis sacramentis quae characterem non imprimunt, quomodo scilicet, recedente fitione, possint physice producere gratiam, cum tunc nec in se nec in sua virtute existant, nihilque ex ipsis relinquantur in quo virtualiter permanere dicuntur.

78 Respondent alii, quod licet sacramenta quae non imprimunt characterem, neque in se, neque in sua virtute sint, quando tollitur fictio, vere tamen instrumentaliter physice concurrunt ad gratiae productionem, quia sicut in instrumentis divinis virtutis non requiritur necessario praesentia & contactus formalis subjecti in quo producit effectus, eo quod virtus causa principalis sit intime in omnibus rebus, & ratione illius instrumenti dicantur virtualiter praesentia & contingantia passum; ita non est necessaria existentia eo tempore quo operantur, eo quod eadem virtus causa principalis sit formaliter existens in omnitemporis differentia, & ratione existentiae ipsius, instrumenta quae assumunt sint virtualiter existentia in ea duratione in qua non sunt formaliter.

79 Sed haec solutio & doctrina probabilitate caret, impossibile enim est, ut res non existens nec in se formaliter, nec virtualiter in aliquo suo effectu, possit physice in aliquid influere, sive principatim, sive etiam instrumentaliter; sublata existentia enim est conditio omnino necessaria ad agendum, quam Deum non potest supplere. Et ratio est, quia sublata existentia rei, vel in se, vel in alio, nihil illius actu remanet, ac proinde non est aliquid a quo possit esse actio: unde licet Deus possit multas condiciones supplere, v. g. praesentiam sive approximationem agentis ad passum, quia hujusmodi conditionibus sublatis adhuc intelligitur remanere principium a quo procedat actio, non potest tamen supplere existentiam, quia licet non sit actionis principium, ita tamen ab ea dependet principium actionis, ut ea sublata in nihilum redeat. Et sane si haec opinio esset probabilis, nulla ratione posset fallitatis convinci, qui vellet sustinere, Deum posse assumere tanquam instrumentum physice res possibilis & futuras: si quidem licet illa non sint actu, Deus tamen adest formaliter praesens nedum temporis praesenti & praeterito, sed etiam futuro, quod plusquam absurdum est.

80 Secundo respondent alii, relinquo a sacramento determinationem in voluntate quae se illi subiecit, & recedente fitione, vi talis determinationis sacramentalis, seu ex sacramento relicta, & modificata, resultare effectum gratiae in sacramentis quae non imprimunt characterem: sicut enim (inquit) non est inconveniens remanere virtutem determinationem physicam voluntatis, quae amavit finem, ut ex ea se determinet ad media, si nec repugnant voluntatem a sacramento suscepto determinari, & hanc determinationem in ea manere, ut recedente fitione gratiam operetur, sicut supra dicebamus, quod passio & resurrectio Christi, physice ad nostram salutem concurrere dicuntur, quia humanitas ejus, ut illis actionibus aut passionibus determinata & modificata remanet, & in virtute talis

reale determinationis & modificationis, producit gratiam, ut instrumentum, conjunctum Divinitati. Haec solutio probabilitate non caret.

81 Verior tamen ac probabilior est solutio & doctrina aliorum Thomistarum asserentium: sacramenta quae non imprimunt characterem, recedente fitione, non caussare gratiam physice, sed solum moraliter: rationi enim consentaneum videtur, quod sacramentum causet gratiam, secundum modum essendi quem habet; ita ut illum physice causet, quando vere & physice existit, moraliter vero quando existit solum moraliter & in divina acceptatione, ut contingit in proposito. Nec hoc officit sententia de causalitate physica sacramentorum novae legis, quia haec non intelligitur, nisi de sacramento existente, cum existentia sit una de conditionibus requisitis ad physice operationem.

§. III.

*Aliud argumentum solvitur.*

82 Objiciunt secundo Adversarii: Ad rationem instrumenti physici necessarium est quod sit immediate conjunctum subjecto in quo effectum suum producit, ipsumque physice contingat: Sed sacramenta saepe distant localiter ab homine in cujus anima est caussanda gratia, ut patet in sacramento poenitentiae, nam cum sacerdos poenitentem absolvit, verba non tangunt physice poenitentem, nec ejus animam in qua producit gratia: Ergo neque sacramenta esse instrumenta physice producliva gratiae.

83 Respondent Nuncio & Serra, non esse necessarium quod agens physicum sit immediate conjunctum cum ea parte in qua producit suum effectum, ut patet in pungente carnem, quod in sensu aut organo tactus caussat dolorem, & tamen non est immediate ipsi conjunctum, sed satis est ipsum esse conjunctum cum toto composito, unde cum sacramenta possint esse immediate conjuncta cum homine, in ejus anima possunt instrumentaliter physice caussare gratiam & tangendo corpus cor aluere ut loquitur Augustinus, seu efficere operationem instrumentalem circa animam, ut ait S. Thomas hic art. 1. ad 2.

84 Haec solutio haud dubie veram doctrinam continet, sed difficultatem propositam penitus non evacuat, sunt enim aliqua sacramenta novae legis, quae contactum circa corpus non requirunt necessario, ut patet in exemplo adducto, non enim est necessarium, quod in sacramento poenitentiae, verba absolutionis a sacerdote prolata, reali & physice contactu ipsum poenitentem attingant. Idem constat in sacramento matrimonii, non requiritur enim necessario quod verba unius contractantis in ea distantia proferantur quod alterum contractantem realiter attingere valeant. Simile est in sacramento Eucharistiae respectu consecrationis: non enim oportet, quod verba sacerdotis consecrantis panem & vinum materialiter & realiter attingant, ut cum plures locis consecrantur. Alia ergo assignanda est solutio, quae sit universalior, & valeat etiam pro illis sacramentis quae physicum corporis contactum non requirunt. Unde

85 Respondeo primo distinguendo Majorem: Ad rationem instrumenti physici necessarium est quod sit immediate conjunctum subjecto in quo suum effectum producit: si sit instrumentum artis, vel naturae, transeat Major. Si sit instrumentum divinae virtutis, quae est sacramentum nego Majorem. Hoc enim inter instrumenta primi & secundigenis reperitur discrimen, quod cum in instrumentis naturalibus, aut artificialibus, virtus causa principalis non sit ita diffusa, ut per se ipsam possit immediate contingere passum, vel subjectum operis naturalis, vel artificialis, necesse est quod mediante instrumento illum deferente, reddatur ipsi praesens, subindeque quod instrumentum naturae, vel artis contingat immediate passum seu subjectum in quo debet produci ejus effectus: & contra vero, cum virtus Dei ob ejus immensitatem sit omnibus rebus intime praesens, non requiritur quod mediante instrumento reddatur praesens subjecto in quo gratia vel alius effectus supernaturalis producit, nec per consequens quod instrumenta divina virtutis tale subjectum immediate contingant, sed in rem distantem operari possunt. Unde Christus Matth. 8. sola voce sanavit servum Centurionis absentem, & Joan. 4. sanitati restituit filium Regali distantem. Item Joan. 11. voce revocavit animam Lazari existentem in Limbo, quo vox illa physice pertingere non poterat. Hinc D. Thomas 2. 2. q. 178. art. 1. ad 1. infert Deum posse elevare interiorum hominis operationem ad physice patranda miracula in re externa & distantia. Et 1. parte q. 64. art. 4. ad 2. asserit demones in aere isto detentos, torqueri ab igne inferni, asseritque Glossam Jacobi 3. dicentem: *Demones portant semper ignem gehennae quocumque vadunt.*

Dixi autem in distinctione Majoris, transeat Major, quantum ad instrumenta naturalia, quia in istis instru-

mentis non est universaliter verum, quod debeant immediate contingere subjectum in quo effectus causae principalis producit; & naturalia enim, licet non sit nisi in capite, operatur tamen instrumentaliter in pede, ipsumque movet localiter, ut instrumentum naturale animae, quia ipsa anima cui conjungitur & quae est causa principalis talis motus, formaliter in pede existit. Cur ergo similiter sacramenta, & alia divina virtutis instrumenta, non poterunt operari in subjectum distans, cum Deus qui est causa principalis gratiae & miraculorum, omnibus rebus intime praesens sit, & immediatus ac intimus, quam anima pedi, ipsis conjungatur; in ipso enim vivimus, movemur, & sumus, ut dicitur Actorum 17.

86 Secundo responderi potest & magis explicari ac illustrari praecedens solutio distinguendo aliter majorem: De ratione instrumenti physici est, ut subjectum in quo debet recipi ejus effectus, physice contingat contactu supposito, seu rei, nego Majorem. Contactu virtutis, & causalitatis, concedo Majorem. Similiter distinguo Minorem: sacramenta non contingunt semper subjectum in quo producit illorum effectus, scilicet gratia, contactu supposito, seu rei, concedo Minorem. Contactu virtutis & causalitatis, nego Minorem, & Consequentiam. Quamvis ergo implicet contradictionem, quod instrumentum physice influat in effectum causae principalis, nisi causalitate & virtute a causa principali derivata, spiritualiter passum contingat, agere enim est virtute activa actu dante esse, & ipsa productio & actualis efficientia, est virtuale & realis contactus: unde S. Thomas supra quaest. 43. art. 6. ad 1. ait, quod *Passio Christi licet sit corporalis, habet tamen spirituales virtutes ex Divinitate unitae, & ideo per spirituales virtutes efficaciam fertur.* Non requiritur tamen, quod instrumentum physicum (praesertim si sit instrumentum divinae virtutis) per seipsum, seu per suam entitatem, physice contingat subjectum, in quo effectus causae principalis producit, quia propinquitas, seu indistantia agentis ad passum, est aliqua conditio, divina virtute supplebilis.

§. IV.

*Solvitur aliud argumentum, positum ex alia conditione, ad instrumentum physicum requisita.*

87 Objiciunt tertio Adversarii: Instrumentum physicum debet indispensabiliter habere aliquam actionem praeviam, & sibi propriam: Sed sacramenta talem actionem non habent: Ergo non sunt instrumenta physica. Major supponitur ex Philosophia, Minor vero sic ostenditur. Actio praevia instrumenti desideratur, ut operetur dispositive ad effectum principalis agentis: Sed sacramenta ex virtutibus propriis non possunt ad effectum Dei, scilicet gratiam, dispositive operari: Ergo non possunt habere actionem praeviam & sibi propriam ad rationem instrumenti physice requisitam. Major communiter docetur a Thomistis in Philosophia, Minor vero suadet. Instrumenta operari dispositive ad effectum principalis agentis, est ipsa in subjecto in quo debet produci talis effectus, operari aliquid disponens ad illum: Sed sacramenta hoc non possunt praestare, cum non possint ex virtutibus propriis ponere in anima aliquid quod sit dispositio ad gratiam: Ergo non possunt ad effectum Dei dispositive operari.

88 Hoc argumentum tangit difficultatem quam resolvunt Philosophi in secundo Physicorum, non tamen omnes eodem modo. Suarez enim existimat, in pluribus quidem instrumentis reperiri actionem praeviam, per quam dispositive operantur ad actionem & effectum principalis agentis, illam tamen non requiri indispensabiliter in omnibus, praesertim in instrumentis divinae virtutis. Idem videtur sentire Nuncio hic difficultate 7. quatenus docet, quancumque rem actu & realiter existentem, posse a Deo assumi ut instrumentum, ad quemlibet effectum, etsi nullam habeat actionem sibi propriam. Alii dicunt, agentis creati instrumenta debere necessario habere actionem praeviam proprie sumptam; instrumenta vero Dei, vel actionem propriam, vel saltem aliquid habens modum actionis, puta realem passionem, vel motum localem, &c.

89 Sed communior sententia inter Thomistas, a D. Thoma multis in locis evidenter tradita, asserit requiri indispensabiliter actionem praeviam proprie sumptam in omnibus, etiam divinae virtutis, instrumentum. Ita 1. p. qu. 45. art. 5. ubi sic ait: *Causa instrumentalis non participat actionem causae superioris, nisi in quantum per aliquid sibi proprium, dispositive operatur ad effectum principalis agentis.* Et hic art. 1. ad 2. dicendum (inquit) quod instrumentum habet duas actiones: unam instrumentalem, secundum quam operatur, non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis; aliam autem habet actionem propriam, quae competit sibi secundum propriam formam, sicut securi competit scindere, ratione sua acuitatis, facere autem lectum, in quantum est instrumentum artis; non autem percipi instrumentalem actionem.

actionem, nisi exercendo actionem propriam, sciendo enim...

90 Ratio etiam suffragatur: Virtus enim qua causa principalis movet instrumentalem, est essentialiter elevativa...

91 Dices, Deus non assumit instrumenta ex eo quod indiget eorum actione, immo potius sua omnipotentia elevat...

92 Sed nego consequentiam, licet enim Deus absolute non indiget actione instrumenti, cum per seipsum absolute producere possit...

93 Ad argumentum respondeo, concessa Majori, negando Minorem; & ad eas probationem, distingo Majorem: Actio propria instrumenti desiderat ut operetur dispositiva...

Explicatur solutio: Dupliciter intelligi potest, instrumenta dispositiva operari, nimirum ex parte rei operantis, & ex parte modi operandi. Tunc instrumentum dicitur operari dispositiva ex parte rei operantis, quando producit in passu aliquid quod disponit ad effectum principalis agentis...

94 Explicatur solutio: Dupliciter intelligi potest, instrumenta dispositiva operari, nimirum ex parte rei operantis, & ex parte modi operandi. Tunc instrumentum dicitur operari dispositiva ex parte rei operantis, quando producit in passu aliquid quod disponit ad effectum principalis agentis...

95 Ex hoc facile intelliges, quid intendat D. Thomas, dum l. part. quest. 45. negat posse aliquam creaturam creare, nempe principaliter, sed etiam instrumentaliter;

quia instrumentum (inquit) non participat actionem principalis agentis, nisi per aliquid sibi proprium dispositiva...

§. V.

Alta difficultas resolvitur, & quoniam sacramenta consistunt gratiam, breviter explicatur.

Objiciunt quarto Adversarii: Non potest assignari quoniam sacramenta nostra physice producant gratiam, nam cum excepta Eucharistia, omnia alia consistant in usu materie, atque adeo inter entia successiva numerentur, in rebus autem successivis tria tantum possunt considerari, initium, videlicet instans, sive indivisibile, quo ducuntur ultimo non esse, & immediate post futura; finis, scilicet instans in quo dicuntur primo non esse, sed immediate ante fuisse, & medium, quod est tota eorum duratio, clausa inter duo illa instantia: si possit assignari, quando sacramenta nove legis physice causant gratiam, vel in instanti eorum initiativo hoc esset, vel in terminativo, vel in duratione intermedia: Sed non in instanti initiativo, utpote cum in illo nonnullum sint; neque in terminativo; quia in eo jam amplexum non existit; neque tandem in duratione intermedia, nam praterquam quod gratia est forma permanentis, habens totum esse simul, subindeque in instanti, sacramenta insuper in sua duratione intermedia, ante instans terminativum, nondum complete & perfecte sunt, ac proinde nondum possunt physice gratiam causare: Ergo illa non possunt physice producere gratiam, sed tantum moraliter.

Propter hoc argumentum multi negant physicam sacramentorum nove legis efficientiam, qui vero eam propugnant, in varias dividunt sententias. Aliqui enim existimant gratiam produci a sacramentis toto illo tempore quo durat actio sacramentalis, & quod inter instans initiativum & terminativum illius includitur. Alii dicunt illam produci eo tempore quo durat ultima syllaba. Alii volunt eam causari in instanti, sed isti in duas adhuc dividunt sententias, alii asseruntibus eam produci in instanti intrinseco quo dicunt sacramenta completi; alii in instanti dumtaxat extrinseco, quando verum est dicere, nunc primo sacramenta non sunt, sed immediate ante erant; & hic dicendi modus apud Thomistas communior est. Unde

Dico primo: sacramenta non causare gratiam in tempore, sed in instanti.

Probat brevis: Esto enim gratia ex absoluta Dei potentia possit in tempore produci, ut aliqui existimant, probabile tamen non est ita de facto a Deo per sacramenta produci; quia connaturale est rebus indivisibilibus, & quantum esse est permanentis, incipere determinate per primum sui esse, subindeque produci in instanti: Ergo gratia sacramentalis non producitur in tempore, sed in instanti, sicut lux.

Confirmatur ex D. Thom. 3. p. quest. 75. art. 7. ubi probat conversionem panis in corpus Christi fieri in instanti, triplici ratione. Primo ex parte forme, quia forma substantialis non suscipit magis & minus & ideo fit in instanti. Secundo ex parte subjecti, quod est in ultima dispositione ad formam quam in instanti acquirit, & ideo aer in instanti illuminatur. Tertio ex parte agentis, quia agitur Dei virtute infinita: Sed omnes iste rationes locum habent in infusione gratie, concurrente sacramento instrumentaliter, ut patet singulari expendentia: Ergo gratia sacramentaliter non producitur in tempore, sed in instanti.

Confirmatur amplius ex eodem S. Doctore ibidem in 98 solut. ad 3. ubi sic ait: Ista conversio fit in ultimo instanti prolationis verborum, tunc enim complectur verborum significatio, qua est effectus in sacramentorum formis. Quibus verbis rationem fundamentalem primae partis nostrae conclusionis

stent instanti. Sacramenta enim non producant gratiam, nisi quando est completa eorum significatio: quia ut communitur dicitur, verba operantur in sacramentis, in quantum significant, unde si tollatur a verbis aliquid quod est de substantia significationis, tollitur id quod est de substantia forme, ut docet Zacharias Papa cap. Revertens de consecrat. dist. 4. Et Nicolaus Papa cap. Si revertens; ideoque si una trium personarum omittatur in forma Baptismi, non est validum sacramentum: Sed usque ad ultimum instans prolationis verborum, non est perfectus sensus significationis, nec illa censetur completa: Ergo ante illud instans, sacramenta non producant gratiam, sed solum in illo instanti.

99 Dices, Eo modo potest gratia incipere, quo peccatum: Sed istud potest incipere in tempore indeterminato: Ergo & gratia. Minor probatur: Si Deus imponeret Petro preceptum de eliciendo actu contritionis ante mortem, quod Petrus non exsequeretur, in tali casu peccatum non inciperet in instanti mortis, quia tunc non potest amittere gratiam, quam usque ad illud instans habuit: Ergo incipere in tempore indeterminato antecedente illud instans.

Respondeo ipsum tunc peccatum, quando se exponit periculo non satisfaciendi precepto, licet enim physice loquendo, toto tempore antecedenti instans mortis, possit elicere actum contritionis, potest tamen designari aliquod instans in quo deberat ultimo tale preceptum adimplere, quia post illud, adimpletio precepti erit illi moraliter impossibilis, & ideo peccatum in tali casu incipere in tali instanti.

100 Dico secundo: Sacramenta non causant gratiam in instanti intrinseco, sed extrinseco, in quo verum est dicere, jam non sunt, sed immediate ante erant. Est contra Suarez, Philippum a S. Trinitate, & quosdam alios asserentes sacramenta causare gratiam in instanti intrinseco.

Probat conclusio unica sed efficaci ratione: Sacramenta non conferunt gratiam usque ad ultimum instans: Atqui non habent instans intrinseco, sed dumtaxat extrinseco in quo desinant: Ergo non causant gratiam, nisi in instanti extrinseco terminativo, in quo verum est dicere, jam non sunt, sed ante erant. Major patet ex dictis conclusionibus precedentiibus, & docetur expresse a D. Thoma in 4. ad Anselmum dist. 8. art. 5. ubi ait quod virtus (productiva gratiae) communicatur sacramentis quando est in suo termino & complemento, non quando est simpliciter in susceptione. Minor vero probatur: Quando v. gr. & prolatio verborum in Baptismo, sunt res successivae: At res successivae non habent ultimum instans intrinseco in quo desinant, sed dumtaxat extrinseco, unde Philosophi docent in libris Physicorum, successiva non desinere per ultimum sui esse, sed per primum sui non esse, id est per instans in quo verum est dicere, jam non sunt, sed immediate ante erant: Ergo sacramenta non habent instans intrinseco, sed dumtaxat extrinseco, in quo desinant.

101 Confirmatur & magis illustratur haec ratio: Quando aliquis effectus causatur mediante motu, tanquam terminus secundarius illius, non est simul in eadem duratione in qua est motus, sed in ultimo instanti terminativo ipsius, in quo verum est dicere, nunc non est motus, sed immediate ante erat, ut patet in communi doctrina Thomistarum de alteratione, quae immediate disponit materiam ad introductionem forme substantialis, quamdiu enim durat alteratio, non ponitur forma, sed resultat in ultimo instanti terminativo illius, in qua verum est dicere, nunc primo non est alteratio, & immediate ante erat. Sic etiam ubi permanens, quo quis dicitur esse permanentem in loco, non acquiritur per motum localem, quoad usque motus ille sit perfectus, scilicet in instanti extrinseco terminativo illius, in quo verum est dicere, nunc non est motus localis, & immediate ante erat. Idem constat in generatione mixti, nam quando elementa in se invicem agendo, corrumpunt sese mutuo, & generant mixtum, tunc mixtum causatur instrumentaliter ab eis, quando non sunt, sed immediate ante fuerunt; neque enim possunt causare mixtum quando sunt, alias in uno & eodem instanti essent plures forme in eadem materia, quod implicat contradictionem, ut suppono ex Philosophia. Cum ergo similiter gratia sacramentalis conferatur aliquo modo, motus motu quem includunt sacramenta, non producitur in eadem duratione in qua sunt sacramenta, sed in instanti extrinseco terminativo illorum, in quo primo non sunt. Unde

102 Ad argumentum initio propositum, responderetur in forma, concessa Majori, negando Minorem, quantum ad secundam partem, ut enim jam ostensum est, sacramenta producant gratiam in instanti extrinseco terminativo illorum. Cum vero instans Adversarii; Quod non est potest aliquid physice producere, non exigentia & conditione necessaria ad agendum; Sed sacramenta non sunt in illo instanti extrinseco terminativo, cum in illo instanti verum sit dicere, nunc non est motus physicus factus.

cramentalis, & immediate ante erat, Ergo in tali instanti non possunt instrumentaliter physice causare gratiam: Dupliciter responderi potest, primo distinguendo Majorem: Quod non est, nec immediate ante fuit, non potest aliquid physice producere, concedo Majorem. Quod non est, sed immediate ante fuit, subdistinguo Majorem, illamque concedo de his que agunt ut quod, & que sunt entia permanentia; nego autem de entibus successivis, & que agunt tantum ut quo; haec enim est natura actionis successivae, ut si per eam producatur terminus, ille non existat, donec ipsa actio successiva desinat, ut patet in exemplis supra adductis. Unde cum actiones sacramentales sint successivae, & assumantur tanquam causalitates ministrorum applicantium sacramenta, non debet gratia sacramentalis produci, quamdiu illae actiones sunt, sed quando verum est dicere quod immediate ante erant.

Secundo responderi potest aliter distinguendo Majorem: 103 Quod non est in se, nec in sua virtute, non potest aliquid physice producere, concedo Majorem. Quod non est in se, est tamen in sua virtute, nego Majorem. In illo autem instanti extrinseco terminativo motus sacramentalis, remanet virtus ipsius, quia remanet terminus per ipsum productus, in quo recipitur virtus productiva gratiae: hujusmodi vero terminus est ultimum mutatum esse, quod mensuratur illo instanti extrinseco terminativo motus.

Dices primo hinc sequi sacramentum non elevari ad 104 producendam gratiam, sed tantum illud mutatum esse: At hoc videtur absurdum: Ergo, &c. Sequela Majoris probatur: Illud non elevatur, quod non recipit virtutem productivam gratiae: Atqui ex jam dictis, talis virtus in sacramento non recipitur, sed dumtaxat in ultimo mutato esse: Ergo sacramentum non elevatur ad producendam gratiam.

Respondeo negando sequelam Majoris, ad cuius probationem, distingo Majorem: Illud non elevatur quod non recipit virtutem productivam gratiae, vel in se toto, vel in aliquo complemento suo intrinseco, concedo Majorem. In se toto, nego Majorem. Quamvis autem sacramentum non recipiat in se toto, immo nec in illa sui parte, hanc virtutem, recipit tamen illam in aliquo ad suum complementum intrinsece pertinente, scilicet in ultimo mutato esse: quod licet non sit intrinseco sacramento per modum partis, bene tamen per modum termini ipsum immediate efficientis, & ad illud pertinet per modum complementi, sicut punctum ad lineam, & superficies ad corpus: unde quemadmodum unum corpus dicitur tangere aliud, quamvis illud non tangat nisi ratione superficiei, & corpus perfecte sphericum contingat planum, licet illud non tangat nisi in puncto: ita sacramentum dicitur causare gratiam, ratione illius indivisibilis sui mutati esse motus sacramentalis, quod intrinsece complectitur, quia tunc sacramentum dicitur esse in facto esse, cum antea esset solum in fieri. Ado quod vis productiva gratiae non recipitur in illo mutato esse, nisi ratione motus sacramentalis quem terminat, & ideo hoc ipso quod illud mutatum esse attingit gratiam, totus motus sacramentalis potest dici producere instrumentaliter gratiam.

Dices secundo: Res immediate futura, nullo modo potest agere effective: Ergo neque res immediate praeterita. Antecedens est certum, & patet ex dictis supra §. 2. Consequentia vero videtur legitima ex paritate rationis, etenim tam nihil est res praeterita, quam futura.

Confirmatur, Si res que nunc desinit, & non est, potest agere, quia immediate antea fuit: Ergo & causa que fuit heri, hodie poterit supernaturaliter elevari ut effective agat, quod est omnino impossibile.

Ad instantiam, concessa Antecedente, nego Consequentiam, & praeterea, nam res futura nondum existit secundum quid & in termino; sicut res que immediate praeterit, & ideo non potest assumi a Deo ut instrumentum, sicut potest assumi id quod praeterit sub ratione successivis, & manet secundum rationem termini.

Ad confirmationem responderetur quod res que heri praeterit, non habet contiguitatem cum res que modo producitur, & ideo neque contactum durationis habet, ac proinde in illam effective operari nequit; res autem que immediate conjungitur cum alia, habet contactum durationis successivae, & ita potest agere in illam.

Ado, quod res que praeterit heri, si virtutem aut effectum suum relinquit, potest hodie a Deo assumi ut instrumentum, non in se, sed in sua virtute & effectu, sicut dicit S. Thomas supra qu. 56. hujus partis, de morte Christi, & qu. 56. de ejus resurrectione, quod operantur nostram salutem & resurrectionem; quia videlicet operantur per humanitatem aliquando mortuam, & nunc resuscitam. Sic ergo sacramentum dicitur operari physice, non quia omnes ejus partes sine finem, aut secundum successivam suam assumuntur a Deo, sed quia remanet in termino talis successivis virtualiter, nimirum in ultimo mutato esse, in quo (ut supra diximus) recipitur productiva gratiae.

108 Dies tertio: Si sacramentum operatur in instanti extrinsece terminativo, sequitur quod possit sacramentum habere suum effectum in instanti separationis anime a corpore: Sed hoc videtur absurdum: Ergo, &c. Minor patet, quia tunc homo qui in tota vita sua fuit in peccato mortali, possit in instanti quo jam non vivit amplius, gratiam accipere, & salvari, quod omnino impossibile est. Sequela vero Majoris probatur: Contingere potest quod taliter ministraretur sacramentum homini morienti, ut idem sit instanti extrinsecum sacramenti, & separationis anime a corpore: Ergo si sacramentum operatur in instanti extrinsece terminativo, poterit habere suum effectum in instanti separationis anime a corpore, & producere gratiam in anima jam a corpore separata.

109 Respondeo primo retorquendo argumentum in Adversariis; nam etiam contingere potest, quod taliter ministraretur sacramentum homini morienti, ut idem sit instanti intrinsecum sacramenti, & separationis anime a corpore: Ergo si sacramentum causat gratiam in instanti intrinsece terminativo illius, poterit habere suum effectum in instanti separationis anime a corpore.

110 Respondeo secundo; negando sequelam Majoris; nam ab illo illo causa, anima separata non recipiet gratiam per sacramentum, ob duplicem rationem. Primo scilicet, ob defectum subjecti capax, sicut enim in naturalibus, vi alterationis non restituitur forma naturalis in ultimo eius termino, si materia destrueretur, quia non esset in quo reciperetur: Ita etiam si contingeret hominem mori in ultimo instanti extrinsece terminativo sacramenti, vere sacramentum non causaret gratiam, quia non esset subjectum capax eam recipiendi, siquidem non anima separata, sed corpori conjuncta, est capax recipiendae gratiae, & justificationis a peccato. Secundo, quia in illo causa sacramentum non esset ultimo completum, cum non haberet suum ultimo naturam esse, quo tamen mediante (ut supra dicebamus) sacramentum producit gratiam; sicut enim subjectum totius motus sacramentalis est homo, ita & ultimi indivisibilis, seu mutati esse illius; unde ubi primo non esset homo, non possit esse tale indivisibile, seu mutatum esse, motus sacramentalis.

111 Ad completum huius difficultatis resolutionem, diligenter observandum est, quod quando in prima conclusione diximus, gratiam sacramentalem in instanti produci, si sit sermo de mensura propria & proportionata ipsi gratiae, hoc non debet intelligi de instanti temporis continui, sed discreti: cum enim actio illa intentionalis quae sacramenta producit gratiam, non sit corpora & successiva, sed supernaturalis, non habet pro mensura sibi propria & proportionata tempus nostrum, sed aliam mensuram superiorem, quae nulla alia esse potest, quam tempus discretum, quod actiones supernaturales mensuratur. Quia tamen instanti illud temporis discreti mensurans proprie & per se productionem gratiae, potest coexistere toti temporis quo durat motus sacramentalis, aut quo profertur ultima syllaba, vel solum instanti mensuranti ultimum mutatum esse, seu motus sacramentalis, ideo quarunt Theologi in gratia, in tali duratione temporis, vel in illo instanti producitur; & in hoc sensu diximus in prima conclusione, gratiam sacramentalem non causari in tempore, sed in instanti, nimirum in instanti temporis discreti, correspondenti non parti, sed solum instanti nostri temporis.

§. VI.

*Solvitur ultimum argumentum & an virtus per quam sacramenta elevatur ad causandam gratiam, sit spiritalis, vel corpora, motus, vel qualitas, breviter explicatur.*

112 Objiciunt ultimo Adversarii: Si sacramenta essent instrumenta physica ad causandam gratiam, deberet ipsis imprimi virtus aliqua a Deo, causativa gratiae: Sed hoc dici nequit; Ergo nec illud. Major certa videtur, quia sacramenta ex se nullam habent virtutem sufficientem ad agendum in animam, & producendum in ea gratiam sacramentalem: Ergo necesse est quod prius natura quam operatur, recipiant a Deo aliquam virtutem per quam elevatur. Minor vero suadetur primo: Si esset aliqua virtus in sacramentis vel esset spiritalis, vel corpora? Non spiritalis, quia implicat virtutem spirituales recipi in subiecto corporeo: Nec etiam corporeo, nam sicut sacramentum ex eo quod corporeum est, non potest ex se, etiam instrumentaliter, attingere effectum supernaturalem & spirituales, qualis est gratia: Ita etiam non potest eam attingere motum & elevatum per totam virtutem corpoream.

Secundo probatur eadem Minor. Si in sacramentis daretur virtus aliqua causativa gratiae, per quam elevatur, vel talis virtus esset motiva, vel qualitas? Primum dici nequit: cum enim motus se tenet ex parte actus secundi, nequit esse virtus elevans sacramentum, ipsamque in actu primo constituens. Nec etiam secundum, aliquam sacramenta novae legis habent virtutem

productivam gratiae permanentem, & sic non essent instrumenta ad causandam gratiam, cum sit contra rationem instrumenti operari per formam sibi permanentem inherentem.

Hinc argumento multipliciter respondent Auctores qui physicam sacramentorum novae legis causalitatem defendunt. Suarez enim, Meratius, Yzambertus, & alii Recentiores, nolentes admittere in sacramentis virtutem ullam supernaturalem, per quam elevatur, recurrunt ad potentiam quandam obedientialem, proximae & immediate activam omnium effectuum supernaturalium, qui non repugnant, quam volunt in se esse rebus creatis esse congenitam; immo & ab illis non esse distinctam: sed esse ipsammet entitatem cujuslibet rei, ut potentiam cum Deo influere in quemcumque effectum.

Sed haec solutio & doctrina Suarez, non solum Thomisticis, sed etiam Valquez, aliusque Societatis Theologiae displicet, & hinc a nobis confutata est in Tractatu de visione beatifica, disput. 3. artic. 3. §. 3. ibi enim multis ostendimus potentiam illam obedientialem, proximae & immediate omnium actuum supernaturalium, cum solo concursu Dei simulante operativam, & omnibus rebus creatis congenitam, fictitiam esse, contradictionem involvere, totum ordinem gratiae evertere, virisque Pelagianis erroris continere.

Addo quod, etsi talis potentia obedientialis admitteretur, illa non sufficeret ad constituendum aliquid in ratione instrumenti divinae virtutis in actu primo; alioquin, cum juxta Suarez detur in omnibus rebus creatis talis potentia, hoc ipso quod creaturae sunt, omnes essent in actu primo ad producendum gratiam aut effectum supernaturalem; nec particularem ordinationem in hoc habere sacramenta, ut dicerentur esse in actu primo Dei instrumenta ad producendum gratiam, solum enim requireretur applicatio & concursus Dei cum quolibet re creatis ad producendum talem effectum: applicatio autem & concursus simultaneus non dant virtutem, nec constituunt creaturam in actu primo potentem ad operandum, sed illam ut talem supponunt: Ergo ante applicationem & concursum Dei simultaneam, dicerentur res omnes creatas instrumenta Dei ad producendam gratiam, alioquin effectus supernaturales; subindeque omnes creaturae essent sacramenta.

Addo etiam, repugnare quod instrumentum per virtutem activam sibi congenitam, inchoative constitutum in actu primo respectu effectuum quos solum instrumentaliter attingit, & in excedentes respicit. Et hoc praesertim habet veram in instrumentis divinae virtutis, quia in instrumentis quae assumuntur ab agentibus naturalibus, aliquid est instrumentum quod indiget agens naturale ad suum effectum, & ideo non potest aequaliter agere uno instrumento, sicut alio: sicut non potest quis scribere securi, sed calamo; & ideo agens naturale non praevincit instrumentum suo omnem ordinem ad effectum: At vero Deus aequo bene potest gratia in producere ablatione, & ambulatione, aut quavis alia re, aut operatione, unde non supponit instrumentum suo aliquem ordinem ad effectum supernaturalem, sed omnem ipse praevincit, & ab ipso derivatur: Ergo non debet inchoative virtus productiva gratiae, & aliorum effectuum supernaturalium in instrumentis Dei, ipsis naturaliter esse concognita, ut fugit Suarez.

Secunda solutio est Vincentii Asturicensis, & aliorum, qui ut activitatem hanc obedientialem, ab ipsa naturali entitate indistinctam rejiciunt, & tamen virtutem supernaturalem a Deo sacramentis impressam admittere non cogenerunt, dixerunt sacramenta, & alia divinae virtutis instrumenta, non elevari, nec constitui in actu primo ad producendam gratiam, & alios effectus supernaturales, per aliquid intrinsecum, sed per extrinsecam subordinationem ad Deum, & speciem ipsius assistentiam.

Sed hic etiam modo dicendi communiter a Thomisticis rejicitur, & merito; repugnat enim manifeste doctrinae D. Thomae, qui variis in locis expresse admittit virtutem creatam & supernaturalem in sacramentis, & aliis divinis virtutis instrumentis, perquam ad producendam gratiam, & alios effectus supernaturales elevatur. Nam hic artic. 4. cum restitisset sententiam aliquorum dicentium sacramenta causare gratiam, per virtutem divinam sacramentis assistentem (quae est lententia de elevatione per subordinationem extrinsecam, & speciem Dei assistentiam) eam rejicit: quia (inquit) *potentia quod sacramentum sit instrumentalis causa gratiae, necesse est simul ponere quod in sacramentis sit quaedam virtus instrumentalis ad inducendam sacramentalem effectum.* Hanc etiam virtutem clarissime admittit in solutione argumentorum, ut legitur patebit. Et infra quaeq. 74. art. 4. ait quod *verbis consuetudinibus inest quaedam virtus creata ad convertendum sacramentis factum, & oppositum (subdit) dicitur: Sanctissimum respondet, & derogat dignitati sacramentorum novae legis. Simili habet in 4. ad Annib. dist. 8. art. 5. ubi sic concludit: *Et quia forma effectus significando, ideo completa significatio, in fine**

*in fine orationis, id est in ipso termino, insinuat ut virtus effectus, quae per se transformatur in instanti. Denique in 4. sent. dist. 1. qu. 1. art. 4. quaestione. a. ait: *Dicendum quod propter auctoritates indicatas necesse est ponere aliquam virtutem supernaturalem in sacramentis.* Et dist. 8. qu. 2. art. 3. refert S. Dionysium in fine libri de Ecclesiastica hierarchia dicentem: *In ipsi scilicet consecrationis invocantibus, id est formis sacramentorum, esse virtutes operativas ex Deo.* Et subiungit ipse D. Thomas, relata opposita opinione, *Sed haec opinio dignitatem sacramentorum novae legis derogat, & dicitur sanctissimum obviare videtur. Et ideo dicendum est, quod in verbis praedictis, sicut in aliis formis sacramentorum, est aliqua virtus ex Deo.* Ergo juxta doctrinam D. Thomae, sacramenta non elevatur ad producendam gratiam, per assistentiam, sed per impressionem aliquam virtutis supernaturalem in ipsis receptae.*

113 Ratio etiam ad suadet, primo, quia impossibile est illud quod est de se impotens & improportionatum ad causandum aliquum effectum, reddi potens & proportionatum ad illud producendum, nisi intrinsece mutetur, subindeque nisi in se recipiat aliquam formam seu virtutem quam antea non habebat: Sed sacramentum non est de se potens ad causandam gratiam: Ergo non potest reddi potens, & constitui in actu primo ad illam producendam, nisi intrinsece a Deo mutetur, & elevetur, per impressionem aliquam virtutis supernaturalem. Minor patet, Major vero suadetur. Causam esse potentem, & constituentem in actu primo ad operandum, non est aliqua denominatio extrinseca, subindeque a virtute aliqua & principio interno potest reddi: Ergo implicat de non potente in actu primo reddi potentem & proportionatum ad aliquum effectum producendum, nisi intrinsece mutetur per receptionem aliquam virtutis activae quam antea non habebat.

114 Confirmatur ex illo communi axioma Philosophorum, *Idem sustinet idem, semper facti idem.* Sed si aqua verbi gratia in Baptismo non recipiat aliquam virtutem a Deo per quam elevatur & reddatur potens ad producendam gratiam, semper manebit eadem: Ergo semper faciet idem quod antea praestabat, id est solum abluit corpus, non vero mundabit cor, nec gratiam in anima producat.

120 Secundo: Omnis causa efficiens antequam producat aliquem effectum, vel elicat aliquam operationem, debet eam in se praecedere, saltem virtualiter, alias non possit illum producere, & extra se emittere: unde implicat quod sacramentum producat gratiam in anima, nisi prius saltem natura, eam virtualiter & in actu primo concipiat: Sed non potest eam in actu primo & virtualiter in se praecedere, nisi ratione alicujus virtutis a Deo receptae: Ergo ut producat physice gratiam, necesse est quod a Deo, per impressionem alicujus virtutis supernaturalem prius saltem natura elevetur.

121 Confirmatur & magis illustratur haec ratio: Nulla causa physice agere potest, nisi prius faltem natura habeat in se virtutem physicam & realem ad agendum, cum actus secundus essentialiter praesupponat primum: unde si Deus velit aliquam creaturam operari & producere aliquem effectum requiritur indispensabiliter quod ponat vel supponat in ea virtutem ad illam producendum, alioquin talis causa non ageret: sed Deus ad ejus praesentiam talem effectum produceret: Ergo cum sacramenta non habeant ex se virtutem ad producendam gratiam, ut eam instrumentaliter physice producant, necesse est ut a Deo per impressionem alicujus virtutis supernaturalem eleventur.

122 Confirmatur amplius: Elicet probabile sit, quod ad complendum activitatem, & actum primum alicujus causae, sufficiat sola assistentia extrinseca Dei absque impressione alicujus virtutis, sicut probabile est quod divina essentia in ratione speciei potest complere activitatem intellectus glorificati, per solum assistentiam sui ad intellectum; repugnat tamen quod detur tota activitas, & actus primus ad agendum alicui causae, per solum extrinsecam Dei assistentiam: oportet enim quod agens seu causa a quo exiit actio, in se habeat activitatem, & id quo agit, & quo emittit actionem: Sed sacramenta nullam plane habent ex sua natura activitatem, seu vim gratiae productivam, ut fatentur Auctores huius sententiae, qui in rebus creatis non agnoscunt potentiam illam obedientialem proximae & immediate effectuum supernaturalium operativam, quam lingit Suarez: Ergo implicat sacramenta elevari & reddi potentia ad causandam gratiam, per solum assistentiam Dei extrinsecam, sed ad hoc praestandum, necesse est quod Deus virtutem aliquam supernaturalem ipsis tribuat.

123 Tertio: Non potest intelligi quod Deus specialiter assistat alicui instrumentum, & illud suo actu conjungat & subordinet, nisi instrumentum aliquo modo mutetur: Ergo & nisi recipiat aliquam intrinsecam. Consequenter patet, Antecedens probatur: Et ipso quod Deus incipit af-

ficere specialiter alicui instrumentum, resultat nova relatio realis in instrumentum in ordine ad Deum: relatio autem realis nequit inter duo extrema resultare, nisi faltem in altero eorum sit realis mutatio, quae cum non possit esse in Deo, necessario dicendum est eam fieri in instrumentum.

Denique: Est in instrumentis quae naturaliter sunt colligata cum causa principali, non requiritur nova immutatio, ut operentur; sicut in calore animalis, ut producat carnem, non requiritur nova virtus ab animali proveniens; tamen in instrumentis quae de novo colligantur, oportet novam dari immutationem quae dicatur instrumentum subordinationem tali causae, & illi unitum, atque ab ea ad agendum elevatum, ut docent Philosophi in 3. Physicorum, & patet in terra, dolabra, penicillo, & aliis instrumentis artificialibus: Atqui sacramenta non sunt instrumenta naturaliter Deo colligata & subordinata, ad causandam gratiam, sed a Christo ad hunc effectum praestandum instituta: Ergo ut gratiam producant, necesse est quod per impressionem alicujus virtutis supernaturalem intrinsece immutentur. Unde

Ad argumentum principale initio paragraphi propositum respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ad ejus primam probationem, in qua quaeritur an virtus illa supernaturalis in sacramentis recepta, sit spiritalis vel corpora? Respondet Paludanus, Cabrera, Sylvius, & alii, virtutem illam esse formaliter corpoream, virtualiter tamen spirituales, quia est a Deo, qui summe spiritualis est. Sed praeterquamquod haec solutio est formaliter contra D. Thomae hic art. 4. ad 4. asserentem virtutem illam spirituales esse, non tollit difficultatem argumenti propositi, nam sicut sacramentum, quia corporeum est, non potest ex se, etiam instrumentaliter, attingere effectum supernaturalem & spirituales, qualis est gratia, ita etiam non potest eam attingere motum & elevatum per solum virtutem corpoream. Item sicut sacramentum, ex eo quod est corporeum, non habet ex se ullam vim agendi in animam, quae spiritalis est; ita & virtus corporea, quocumque illa sit, est penitus incapax agendi in animam.

Dicendum ergo est, virtutem illam quae sacramenta elevatur ad causandam gratiam, spirituales esse. Ad probationem vero in contrarium respondetur primo cum D. Thoma citato, quod sicut forma spiritalis incompleta, qualis est anima rationalis, potest informare materiam, quamvis forma spiritalis completa, qualis est Angelus, hoc non possit: ita etiam, licet virtus spiritalis completa & permanens non possit recipi in subiecto corporeo, bene tamen virtus incompleta, vitalis, & intentionalis: Cujus disparitatis ratio est, quia accidens vitale & incompletum, licet ex ea parte quae est accidens, dependat a subiecto in esse, tamen formaliter ut vitale, magis debet commensurari termino cum subiecto (via enim, in quantum via, solum debet habere commensurationem cum utroque termino a quo & ad quem) unde si causa a qua producit, & terminus ad quem ordinatur, spiritalis sint, ut contingit in propositis, tale accidens spirituale esse debet. At vero accidens completum & permanens, solum est subiecti cui inheret, non vero alterius ad quod in actu exercitio continuo ordinatur, & ideo debet in subiecto proportionari & commensurari, subindeque esse corporeum, si subiectum in quo recipitur corporeum sit. Unde cum dicitur, quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur, distinguendum est, si habeat esse permanentem, concedo. Si habeat esse fluens, & intentionalis, ac elevat ad effectum supernaturalem, nego. Quod enim ita elevat, non debet esse secundum modum, sed potius supra modum recipientis, & in eo debet solum praesupponere non repugnantiam ad sui receptionem.

Secundo responderi potest quod licet repugnet accidens spirituales recipi in subiecto corporeo, quia corporeum est, non tamen quod in subiecto corporeo, quatenus est ens creatum, recipiatur: virtus autem spiritalis per quam sacramenta elevatur ad causandam gratiam, non recipitur in sacramentis, quatenus corporeum est, & a re spiritali distinctum, sed quatenus est ens creatum. Er ratio est, quia haec virtus recipitur in subiecto corporeo, ratione potentiae obedientialis passivae: potentia autem obedientialis passiva non convenit rei corporeae, quia corporea est (alias non conveniret rei spiritali) sed qua est ens creatum, & ideo haec potentia obedientialis est ejusdem rationis, formaliter loquendo, in re spiritali & corporea.

Dices primo contra primam solutionem: Accidens corporeum, etiam incompletum, non potest recipi in subiecto spiritali: Ergo neque accidens spirituale, etiam incompletum, in subiecto corporeo.

Respondet Aravius, negando Antecedens: si enim (inquit) verum est illud principium quod supra adduximus, nimirum accidens vitale & incompletum non commensurari subiecto, sed solum principio & termino, tam bene concluditur, accidens incompletum & vitale corporeum, posse recipi in subiecto spiritali, ac accidens spirituale incompletum in subiecto corporeo.

129 Verum si hic Auctor attendisset ad subiectum accidentis corporei, conceisset Antecedens, & negasset consequentiam: quoniam enim accidens visio solum commensuratur & principio & termino, si aliud non obicit, si tamen sit corporeum, dicitur essentialiter habitudinem ad corpus tamquam ad subiectum, quia essentialiter exigit subiectum extensum, aut extensionem connaturaliter exigens: cuius ratio est, quia quantitas fundatur & radicatur in gradu corporis, unde necesse est, ut illud omne quod pertinet ad gradum entis corporei, habeat in se quantitatem, aut pertineat ad subiectum quantitatis.

130 Est etiam alia ratio disparitatis inter accidens spirituale & corporeum, accidens enim debet esse perfectio subiecti in quo recipitur: unde cum corporeum nequeat perficere spirituale, bene tamen spirituale corporeum, licet accidens spirituale, incompletum, & visio, possit recipi in subiecto corporeo, repugnat tamen accidens corporeum, quodcumque illud sit, recipi in subiecto spirituali.

131 Dices secundo: Omne accidens habet existentiam dependentem a subiecto in quo recipitur, unde communiter dicitur, Accidentis esse, est subiecto inesse: Ergo si recipitur in subiecto corporeo, eius existentia erit corporea: Sed repugnat accidens spirituale existeri per existentiam corpoream, cum existentia debeat esse proportionata essentie quam aequat: Ergo repugnat accidens spirituale, quodcumque illud sit, recipi in subiecto corporeo.

132 Respondeo, concessio Antecedente, distinguendo Consequens: Ergo si recipitur in subiecto corporeo, quia corporeum est, eius existentia erit corporea, concedo. Si recipitur in subiecto corporeo, sed non qua corporeum est, sed quatenus est ens creatum, & substantia creata, nego; & concessio Minoris subsumpta, eadem distinctione, secundum consequens, sua consequentia distingui debet. Solutio patet ex dictis in secunda responsione ad principalem argumentum, ubi enim dicebamus, quod licet virtus spiritualis recipi possit in subiecto corporeo: in eo tamen non recipitur qua corporeum est formaliter, sed quatenus est ens, & substantia creata, quia non recipitur in eo nisi ratione potentie obedientialis passive, que competit rebus creatis sub ratione generali entis, & substantia creatae, non vero precise sub ratione corporis: unde licet ratione talis potentie, accidens spirituale recipitur in subiecto corporeo, non oportet tamen eius existentiam esse corpoream.

133 Ad secundam probationem Minoris principalis, in qua quaeritur, an virtus per quam sacramenta eleuantur ad causandam gratiam, sit motus, vel qualitas? duobus modis respondet Thomista: alii enim afferunt virtutem illam esse motum aliquam virtuosam eleuantem simul & applicantem ipsam sacramentum ad gratiam producendam. Ita Nazarius, Nunno, Cabrera, & Joannes a S. Thoma. Alii vero docent, illam esse qualitatem vialem & incompletam, habentem modum motionis, & ad secundam speciem qualitatis reductive pertinere. Ita Paludanus, Capreolus, Ferrarientis, Choquerius, Martinez a Prado, & alii ex nostris Thomistis. Et hic dicendi modus videtur probabilior, & doctrina D. Thome contemtor. Nam S. Doctor in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. quaestione 2. in corp. & ad 1. sic concludit: Unde & virtus hoc qua est in sacramentis, reductiva ad id genus in quo est virtus completa principalis agentis, qua est qualitas. Quae auctoritas videtur expressa, cum clare S. Thomas virtutem qua est in sacramentis ad causandam gratiam, ad speciem qualitatis reductit, non enim est in genere qualitatis directe, quia non est qualitas completa, sed incompleta. Unde ibidem dist. 3. qu. 2. art. 3. in corp. ait: Sed haec qualitas non habet esse completum in natura, qualiter est virtus alicujus principalis agentis secundum formam suam: sed habet esse incompletum, sicut virtus qua est in instrumento ex intentione principalis agentis, & sicut similitudines colorum in aere, ut supra dist. 1. dictum est. Ubi S. Thomas eo sensu quo negat virtutem illam esse qualitatem completam, affirmat esse qualitatem incompletam, adducitque exemplum specierum intentionalium in aere existentium, quas constat esse qualitates incompletas, viales & transeuntis: Ergo juxta doctrinam D. Thome afferendum est, virtutem supernaturalem per quam sacramenta eleuantur ad causandam gratiam, esse qualitatem vialem & transeuntem, & habere solum modum motionis, non autem reipsa motionem aliquam virtuosam esse.

134 Ratio etiam id laedit: Nam talis virtus non solum applicat sacramenta ad instrumentalem operationem, ob quam rationem se habet ut motus, sed etiam constituit illa in actu primo, conferens illis vim eliciendi talem actionem, quam de se non habent: Sed virtus reddens subiectum actiuum, seu vim operandi illi tribuens, ipsumque in actu primo constituit, pertinet ad genus qualitatis, scilicet ad habitum, vel potentiam; directe quidem, si sit completa, indirecte vero & reductiue, si sit incompleta, ut communiter docent Philosophi: Ergo virtus supernaturalis per quam sacramenta eleuantur a Deo ad causandam gratiam, reductiue ad genus qualitatis pertinet.

Confirmatur: Character pertinet ad genus qualitatis, ut est communis Theologorum sententia: Ergo & virtus per quam sacramenta eleuantur, eadem enim est ratio utriusque, quia utraque est virtus instrumentalitatis, completis potentiam in ordine ad aliquos effectus, nativam ejus virtutem excedentes, & in hoc solum differunt, quod character est virtus instrumentalitatis permanentis, virtus autem per quam sacramenta eleuantur, est fluens & transiens, & se habet per modum motionis, ideoque interdum a S. Thoma appellatur motus, quoniam locis supra citatis expressè asserat esse qualitatem.

Dices, Idem S. Doctor 2. a. qu. 73. art. 1. ad 1. negat posse dari aliquam qualitatem ex suo genere operativam miraculorum: Ergo non poterit etiam dari in sacramentis aliqua qualitas ex suo genere productiva gratiae.

Respondet D. Thomam ibi negare tantum qualitatem permanentem & habituales, quae ad omnia miraculorum genera se extendere nata sit: qualitas autem illa quam in instrumentis divinae virtutis admittimus, nec permanens est, sed visialis & incompleta, nec ad omnia miraculorum genera se extendit, sed pro diversis miraculis, diversè etiam exiguntur qualitates.

ARTICULUS IV.

An sacramenta nova legis, Christi & Dei, moralia instrumenta ad causandam gratiam dici possint?

S. I.

Referuntur sententia, & vera eligitur.

Multis ostendimus in praecedentibus articulis, sacramenta nova legis esse instrumenta physica Dei ad causandam gratiam, sed adhuc superest breviter discutendum, an praeter causalitatem illam physicam, quam passim Thomista omnes una cum S. Doctore illis attribuant, causalitas aliqua moralis illis conveniat, possintque Christi & Dei moralia instrumenta appellari? In cuius difficultatis resolutione, partem negantem tenent aliqui ex nostris Thomistis, contententes sacramenta nova legis, nec Christi, nec Dei posse proprie instrumenta moralia appellari. Ita ex professo docent Rychinchus Choquerius lib. de origine gratiae sanctificantis disp. 9. cap. 3. Nunno, Martinez a Prado, & ex extraneis Suarez, Valentia, & Alanus.

Sententia tamen affirmans illa non solum esse instrumenta physica, sed etiam moralia Christi & Dei, videtur probabilior, & communior est in Schola D. Thome, eamque ex Thomistis amplectuntur Cabrera, Aravius, Joannes a S. Thoma, Marcus a Serra, Philippus a S. Trinitate, & ex Recentioribus Henriquez, Meritatus, Bonacina, & alii, cum quibus

Dico primo: Sacramenta nova legis esse causas instrumentales morales Christi Domini ad gratiam producendam.

Probat brevis: illud est causa moralis instrumentalitatis alicujus effectus, quod ut subordinatum causae principali morali inducit causam physicam ad ipsius productionem, ut patet, dum pretium, quo artifex conducitur inducit ipsum ad faciendum artefactum. Atqui sacramenta nova legis inducunt causam physicam gratiae, scilicet Deum, ad ejus productionem, ut subordinata Christo Domino, qui est causa principalis moralis ipsius, per modum meriti, impetrationis & satisfactionis: Ergo &c. Major patet, Minor probatur. Sacramenta nova legis se habent ad Christum in ordine ad gratiam proportionatim, sicut pecunia se habet ad emptorem, in ordine ad rem aliquam emendam, quia scilicet pecunia continet pretium rei emendae, ita sacramenta continent pretium ipsius gratiae, quod est virtus passionis Christi. Sicut ergo pecunia, ut subordinata emptori, inducit vendentem ad tradendam rem venditam; ita etiam sacramenta nova legis, ut subordinata Christo pro nobis merenti & satisfaciendi, inducant nostrum modo loquendi Deum ad gratiam conferendam illis a quibus suscipiuntur.

Confirmatur: Sacramenta nova legis sunt instrumenta Christi ut causa principalis moralis gratiae: Ergo sunt instrumenta moralia ipsius. Consequentia patet, omne enim agens principale debet uti instrumentum sibi proportionato, & ejusdem ordinis cum ipso, ita ut agens principale morale, instrumentum physico, agens vero principale morale, instrumentum morali utatur. Antecedens vero fit ostenditur. Sacramenta nova legis sunt instrumenta Christi, prout est noster Redemptor. Sed Christus in quantum noster Redemptor est causa principalis moralis gratiae: Ergo sacramenta nova legis sunt instrumenta Christi, ut causa principalis moralis. Major est evidens, Minor probatur. Causa meritoria alicujus domi, vel praemii, est causa moralis illius: Christus autem ut noster Redemptor, est causa meritoria nostrae gratiae, & quidem principalis in genere causae moralis meritoriae, quia causae instru-

instrumentalis subordinatur alteri causae principali tantquam superiori, nulla autem potest dari causa superior Christo, a qua meritiim ejus ut a causa principali procedat; siquidem Deus qui solus est superior Christo ut homini, est incapax merendi, ex eo quod ille qui meretur est inferior illi qui mercedem retribuit: Deus autem nec potest esse inferior alicui, nec ab aliquo mercedem expectare vel accipere: Ergo Christus, in quantum noster Redemptor, est causa principalis moralis gratiae.

Dico secundo: Sacramenta nova legis possunt etiam dici instrumenta moralia respectu Dei, in ordine ad gratiae productionem.

140 Probat: Illud est instrumentum morale Dei in productione gratiae, quod ab ipso habet vim movendi causam principalem physicam, ut producat gratiam: Atqui sacramenta nova legis, non solum a Christo, sed ab ipso etiam Deo, habent vim movendi moraliter: Ergo non solum instrumenta moralia Christi, sed etiam Dei, in ordine ad gratiae productionem, dici debent. Major patet, Minor probatur. Quando quis promittit se ad praesentiam alicujus rei collaturum aliquid beneficium, hujusmodi deinde res applicat, habet ex tali promissione vim movendi moraliter promittentem, ut conserat tale beneficium: Atqui Deus promittit se daturum gratiam ad praesentiam sacramentorum: Ergo sacramenta applicata habent ex illa Dei promissione vim movendi ipsammet Deum promittentem, ut conserat gratiam.

Confirmatur: Deus exhortationibus & preceptis Christum excitavit & determinavit, ad promerendum nobis gratiam, & ad instruendum sacramenta, quibus mediante meriti ipsius nobis applicaretur, & ipse moveretur nostro modo intelligendi ad gratiam principaliter nobis communicandam: Ergo ex hoc etiam capite sacramenta possunt dici instrumenta moralia Dei. Unde Deus se habet in proposito, sicut artifex qui alium hortaretur, ut se invitaret ad artefactum aliquid efficiendum oblata pecunia, sicut enim illa pecunia esset non solum morale instrumentum illius qui ea mediante invitaret artificem ad operandum, sed etiam ipsius artificis, qui per eam vellet moveri ad operandum: ita etiam in proposito, sacramenta sunt moralia instrumenta, non solum Christi, quatenus eis mediante sua nobis applicat merita ad gratiam a Deo impetrandam, sed etiam Dei, qui voluit eis moveri ad gratiam nobis communicandam.

S. II.

Solvuntur objectiones.

141 Obijcies primo: Si sacramenta nova legis essent instrumenta moralia Dei, ex eo quod Deus promittit ad illorum praesentiam se gratiam largiturum, etiam sacramenta veteris legis possent dici instrumenta moralia Dei ad gratiam producendam: Sed hoc videtur falsum, & repugnans doctrinae D. Thome: Ergo & illud. Sequela Majoris est evidens, quia etiam Deus promittit se ad praesentiam sacramentorum veteris legis daturum gratiam non ponentibus obicem. Minor vero probatur: D. Thomas hic art. 6. ex professo inquirens, utrum sacramenta nova possent causare gratiam? Respondet negative: Ergo censet non fuisse etiam instrumenta moralia Dei ad illam producendam, alias diminute processisset, nihil dicendo de illa causalitate morali.

142 Respondet, concessio Majori, negando Minorem; ut enim ostendimus Tractatu sequenti, cum agemus de Circumcisione, circumcisio, & alia veteris legis sacramenta, causantur gratiam, ut instrumenta moralia Dei. Ad probationem in contrarium dicendum est, D. Thomam negasse tantum causalitatem physicam sacramentis veteris legis. Nec tamen diminute processisset, nihil dicendo de causalitate morali, quia art. 1. dixit causalitatem moralem quae convenit sacramentis nova legis, non transcendere rationem signi, unde quia art. 6. inquirebat de causalitate transcendente rationem signi, quam concesserat sacramentis nova legis art. 1. non debuit art. 6. explicare hanc causalitatem moralem: immo hoc ipso quod illa non transcendit rationem boni, suppositum eam convenire etiam sacramentis veteribus.

143 Obijcies secundo: Causa moralis non est instrumentum illius qui movetur ad conferendum effectum, sed aliterius qui movet ipsum: praesens enim, aut pretium, aut consilium, vel metus, quibus Petrus movet Paulum ad aliquid beneficium conferendum, non sunt instrumenta Pauli quibus beneficium conserat, sed Petri, quibus Paulum excitat ad illud conferendum: Atqui sacramenta nova legis sunt instrumenta Dei quibus conserat gratiam: Ergo non possunt dici causae morales respectu illius.

144 Respondet primo negando Majorem, universaliter & absolute sumptam, negando enim est inconueniens, quod instrumentum morale, quo mediante aliquis movet aliam ad operandum, sit etiam instrumentum morale illius qui movetur, ut patet exemplo adducto in probatione secun-

da conclusionis: si enim artifex aliquid hortaretur, ut se invitaret ad artefactum aliquid efficiendum, oblata pecunia, illa pecunia esset morale instrumentum, non solum illius qui ea mediante invitaret artificem ad operandum, sed etiam ipsius artificis, qui per eam vellet moveri ad artefactum efficiendum.

145 Respondet secundo distinguendo Majorem: Quod inducit ad aliquid faciendum, non est instrumentum illius, qui movetur vel inducitur ad illud praestandum: si ille non promittit se illud facturum ad praesentiam talis rei, concedo. Si promittit se illud facturum ad illius praesentiam, nego. Cum ergo in proposito Deus promittit se daturum gratiam ad sacramentorum applicationem, illa possunt dici instrumenta moralia Dei.

Obijcies tertio: Ut sacramenta nostrae legis essent instrumenta moralia Dei in productione gratiae, deberet Deus esse causa moralis gratiae: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Major patet, nam instrumentum morale respicit causam principalem ejusdem ordinis. Minor vero suadetur. Tum quia causa moralis non inducit per se in effectum: Deus autem inducit per se in gratiam. Tum etiam, quia non potest explicari causalitas moralis, quam Deus exercet una cum sacramentis.

146 Respondet, concessio Majori, negando Minorem, ad cuius primam probationem, distinguo Minorem: Deus inducit per se in gratiam, quatenus precise est causa moralis illius, nego. Quatenus praeter causalitatem moralem habet efficientiam physicam, concedo. Ad secundam dicendum, causalitatem Dei moralem consistere in hoc quod Deus promittit se daturum gratiam ad praesentiam sacramentorum; vel in hoc quod Christo praecipit, ut applicaret sua passionis merita sacramentis, quibus deinde ad dandam nobis gratiam moveretur, ut antea explicatum est.

ARTICULUS V.

Quam gratiam causent sacramenta nova legis? An primam, vel secundam?

S. I.

Quibusdam praemissa referuntur sententia.

147 Notandum primo, Gratiam sanctificantem solere dici distingui in primam & secundam. Illa prima dicitur, quae primum inducitur subiecto, nondum habenti ullam gradum gratiae sanctificantis, atque adeo existenti in peccato mortali, quod definit esse quando gratia infunditur. Illa vero appellatur secunda, quae advenit subiecto jam grato, & gratiam jam praehabituam auget.

148 Notandum secundo: Sacramenta nova legis alia esse quae dicuntur sacramenta vivorum, alia quae vocantur sacramenta mortuorum. Sacramenta mortuorum dici facta sunt, quod pro mortuis spiritualiter, morte videlicet peccati, instituta sint: & sunt duo, Baptismus & Penitentia. Sacramenta vero vivorum sic appellantur, quia Christus ea instituit pro viventibus vii spirituali anima, quae est vita gratiae & sunt alia quinque.

149 Notandum tertio: Dupliciter nos posse intelligere quod aliquid sacramentum causet primam vel secundam gratiam, nimirum per se, & per accidens. Illa sacramenta dicuntur per se causare primam gratiam, quae sunt instituta a Christo ad conferendam gratiam homini in peccato originali vel mortali existenti. Illa vero dicuntur per accidens causare primam gratiam, quae licet instituta sint ad augendam gratiam, possunt tamen interdum causare primam gratiam. Et in hoc etiam duplici sensu, possunt sacramenta dici causare secundam gratiam, ut consideranti patebit. His praemissis

150 Triplex hic occurrit difficultas breviter discutenda, & resolvenda. Prima est, utrum omnia sacramenta tam vivorum quam mortuorum, causent per se primam gratiam? Secunda, utrum saltem hoc sacramentis mortuorum conveniat? Tertia, an sacramenta vivorum quae per se & ex sua institutione, ordiantur ad causandam secundam gratiam, per accidens primam gratiam causare possint.

151 Quantum ad primam, Nunno hic art. 1. difficultas 2. 152 probabile esse dicit omnia sacramenta legis nove per se conferre primam gratiam, cum hac tamen moderatione, ut duo sacramenta quae dicuntur mortuorum, eam per se conferant, nempe ex ratione communi sacramenti, sed etiam ex propria ratione atomae, cetera vero solum ex ratione communi, quia sic apparet major dignitas sacramentorum nova legis; subtilique sententiam hanc a vicis doctrinamissis subtiliter & curiosè defendi. In illam inclinare videtur Joannes a S. Thoma hic art. 1. dubio 2. ubi docet sacramenta nova legis esse per se productiva primae gratiae ex ratione generica.

153 Quoad secundam, Gabriel, Ocham, Major, & alii Nominales, docere olim nullum ex sacramentis nova legis,